

simonum corpora sua holocausta coverunt, ut in Dei Domum, id est in Cœlestis Domicilli habitationem hostiarum suarum sacrificiis intrarent. Denique scribit, generosos illos Christi Athletas per passionum penas & mortes in Locum Beatitudinis transire. En quid Requies, quid Refrigerium fuerit beato Hilario.

Quamobrem basilice fallitur Burnetus, quem Hilarium in suæ opinione præsidium adventurum sperat. Habemus Sanctum virum dexterissime non uno in loco affirmantem, minime exspectandam Justis postremi Judicij diem; ut ad beatam in Cœlis vitam affurgant. Urgentem tamen aliquem post Burnetum audire mihi videor, atque Hilarii verba repetentem ex Tractat. in Psalm. cxx. ubi de Justis inquit: Exeuntes de Corpore, ad introitum Regni Cœlestis per Custodiam Fideles omnes reservabuntur, in Sinu Scilicet interim Abraxæ collocati. Ergo nondum Justi (dicit aliquis Burnetus) immo ne Apostoli quidem, neque Martyres (inquit enim Hilarius Fideles Omnes) ad Regnum Cœlorum condescenderunt, ac proinde Visionem Dei adhuc desiderant, non tenent. Sed amovebit & hunc obicem Hilarius ipse. Duplex Regnum iamdiu animadverterunt Eruditi a Sancto Hilario excogitatum: unum Christi, alterum Dei. Primum constituitur a duplice mystica Civitate Hierosolyma, nempe ab Ecclesia militante in terris, atque a triumpante in Cœlis Christus nempe regnat in Sanctis super terra viventibus, & ex hisce efformat sensim Cœlestem Civitatem, de qua Apostolus ad Hebr. xi. 22. Accessitis ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Hierusalem Cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam & Ecclesiam principiorum, qui conscripti sunt in Cœlis, & spiritus Iustorum perfectorum. Hæc Regnum Christi est, quippe ex Animabus conflata, quas ipse suo sanguine, veluti Populum acquisitionis, sibi comparavit. Descendit enim de Cœlo Filius Dei accipere Sibi Regnum, ut ipse testatus est Luc. xix. 12. Postquam vero Apostolus prima ad Corinth. xv. 23. Resurrectionem mortuorum deprendavit, haec addidit: Deinde finis, quum (Christus) tradiderit Regnum Deo & Patri, quum evacuaverit omnem Principatum &c. Itaque tunc secundum Hilarii mentem exordium erit Regno Dei: & quod antea Regnum Christi appellabatur, incipiet nuncupari Regnum Dei, Regnum Cœlestis, Regnum Aeternam, quia consummata perfectaque Beatitudinis apicem Justorum Animæ una cum recepto Corpore attingent. Hilarium ipsum audi in Psalm. cxlviii. num. 8. Regnat itaque Dominus (en Regnum Christi duraturum usque ad Resurrectionem omnium) traditurus Deo Patri Regnum (nempe post universale Judicium, ubi dicturus est Justis: Possidete paratum volis Regnum) non Regni potestate cariturus, nam Regni ejus etiam post Resurrectionem non erit finis. At in quo situm est Christi Regnum? Pergit dicere Hilarius: Sed Nos qui Regnum ejus sumus, Deo Patri traditurus in Regnum. Regni traditio nostra propositio est. Quum ergo Hilarius ait, interim Fideles Omnes ad introitum Regni Cœlestis per Custodiam Domini